

terunt accidentia privari suo subjecto a Deo et sustentari ab illo alio modo? Hinc Sanctus Basilius, hom. 1. et VI. hexam. et S. Greg. Nazianz. in orat. de novo die dominico, et Theodoret q. XIV. et XVI. in Gen. volunt a Deo creatam primo die lucem subjecto caruisse, adeoque per se exiisse, donec quarto die creatus fuit sol. Per consecrationem ergo perit substantia panis, remanent accidentia panis: veluti si ictu fulminis gladius in vagina conteratur, vagina manente illæsa. Fecit ad hoc credendum miraculum illustre, quod Faverni ad sequanum, anno 1608. pontificatu S. Pauli V. quarto contigit in nocte pentecostes, sacra monstrantia cum consecrata hostia, ad venerationem exposita, dum forte ignis in suppositam mensam decidens omnia inflammavit, et circumquaque depavit, quæcumque in altari erant, præter monstrantiam illam, quæ suapte vi illæsa in medio aere pendula prodigiose stetit in oculis innumeræ multitudinis ad spectaculum confluentis usque ad feriam tertiam, in qua sacerdote prope celebrante sub elevatione corporis Christi, seipsam paulatim novo prodigio, in substratam mensam super librum missalem corporali tectum demisit. Cujus rei nuntius et testis Romam, me ibidem degente, ad pontificem missus erat; eaque scribitur a Carthag. in no. cathol. relig. christ. lib. IX. c. ult. Voluit, ut opinor, Deus opt. max. ostendere se species etiam sacramentales sustentare sine subjecto posse, qui potuit eucharistiam sine fulero.

Tandem quid facere possit Deus; non ipsi nos docere vel examinare, sed discere ab ipso debemus et a Filio ejus Christo, de quo dixit: *Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite.* Et si Pythagoræ discipulis satis fuit referre se ad magistri sui dicta, dicendo: *Ipsæ dixit:* non sit nobis satis, quod ipse Christus Dei Filius dixit: *Caro mea vere est cibus, etc. Hoc corpus meum.* Propterea apostolus in hodierna epistola nullatenus examinat hoc mysterium, sed ad traditionem magistri se refert, atque ita etiam aliis dixit: *Ego enim accepi a Domino, ait, quod et tradidi vobis: quoniam Dominus Jesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem et gratias agens fregit et dixit: Accipite et comedite, hoc est corpus meum.* Propterea et apostoli in symbolo præfantur: *Credo in Deum Patrem omnipotentem;* ut sic accedentes ad fidem credamus, Deo omnia possible esse: non examinant illi articulos fidei, sed fundant se in Dei omnipotentia. Quis non facile credat Christum qui in omnibus suis operibus fuit admirandus, in incarnatione, miraculis, resurrectione, ascensione, etiam istud mirabile acere potuisse, ac voluisse.

**II. Nolunt hæretici sibi persuadere quod Deus**

voluerit (ut detur potuisse) operari mirabilem hanc mutationem. Nam primo, inhumanum, adeoque indignum Christo, sapientia Dei, putant humanas carnes apponere edendas. Quare ostendunt se incredulis illis similes esse, qui scandalizabantur ob id quod Christus dicebat: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, etc.* Jo. VI. Dicebant enim: *Durus est hic sermo, et quis potest eum capere?* Et propterea a Christo discebant. Qualis erat et Averroes ille philosophus, qui dicebat, licet sibi plurima in christiana religione arriderent: ob id tamen se ab ea deterreri eamque fatuam esse, quod Deum se suum manducare astrueret, ut refert Bassæus, conc. II. infra octav. corporis Christi. Sed respondetur Christi corpus incorruptibile esse, nec quidquam pati aut immutari per sumptionem: nec magis impium esse, Christum in eucharistia sumere, quam eundem infantem in ulnas sumere, deoseculari et amplecti, quomodo suscepit Simeon; vel, ut Origenes respondet, c. XV. in Matth. sicuti radius nihil patitur, quocumque se infuderit: et hoc est quod respondit Dominus incredulis illis discipulis: *Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius? Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam, q. d. juxta interpr. Augustini ibi, ser. II. de verbis apostoli: Putatisne me propositurum carnes meas quasi laniandas dentibus scindendas, quomodo communes carnes laniantur et eduntur? Minime vero: dabo enim vobis me comedendum, et postea videbitis adhuc integrum et ad celos ascendentem; nec quidquam deperire mihi ex hac comestione. Caro, id est, carnalis tantum sumptio et corpus meum quatenus caro tantum sumpta, non prodest quidquam, sed spiritualiter et sub specie panis ad nutriendum spiritum, non ad nutriendam carnem sumpta prodest. Et sic perinde erit me manducari, atque intrare in domum tuam et tecum aliquamdiu morari, postea rursum ad celos evehi. Hac autem ratione nihil inhumani est, Christum edere et bibere. Quis enim dicat inhumanum esse, quod infantes sugant lac de ubere matris. Similiter ergo, imo longe magis sine omni Christi detrimento et sine omni horrore sumitur Christi corpus sub specie panis et vini: quia nihil inde deperit Christo, nec sumitur per modum carnalis cibi, sed spiritualis, nec ad nutriendam carnem, sed ad nutriendum spiritum.*

Secundo, indignum putant Christi majestate, ut ipse in eucharistia apponatur hominibus non tantum bonis, sed etiam malis edendus et bibendus: magisque adhuc indignum, quod aliquando evenire queat ut a vermibus vel muribus arrodatur. Sed quid hoc miramur, cum

sciamus Dei Filium se demisisse ad terram, factum esse infantem et induisse formam servi, lavisse pedes suis discipulis, permisisse se gestandum diabolo in deserto, ac tandem crudelissimis inimicis suis, Judæis et gentilibus flagellandum, illudendum, et crucifigendum? Nimirum sciebat Christus, propter hanc suam nimiam dejectionem aliquos scandalizandos sequæ lapidem offensionis futurum, propterea fideliter monuit: *Beatus qui non fuerit scandalizatus in me;* et ne quis ob tantam ejus humiliationem nimium miraretur et offenderet, voluit eam prænuntiare variis figuris: ut crucifixionem suam per serpentem æneum erectum in pertica: venditionem per innocentem Joseph: sepulturam per Jonam. Sic et eucharistiæ institutionem per manna, per esum agni paschalis, etc. ut præmoniti de his novis et stupendis Dei operibus non dubitaremus aut scandalizaremur. Ac licet res indignissima sit Christum manducari ab indignis et peccatoribus, non ideo intermittere debuit præstantissimum hoc beneficium, quod aliis plurimus ingentes fructus pariturum erat: quemadmodum nec intermisit opus incarnationis et redemptionis, licet prævidisset, se a Judæis ingenti eorum scelere ad ipsorum damnationem crucifigendum, et plurimos sibi ingratos futuros ac propterea gravius damnandos.

Tertio, putant non decere eousque progredi Christi bonitatem et charitatem, ut seipsum in eucharistia corporaliter communicet et uniat hominibus: satis esse quod per naturæ nostræ assumptionem se nobis univerit, et postea spiritualiter uniat: nec plus ultra Christum progredi debuisset. Sed quid magis conveniens infinite bonitati, quam communicare se creaturis: modo quo poterat maximo? Quid magis gloriosum Deo quam instituere voluisse rem ad sanctificandos homines efficacissimam? Quid magis ab infinita charitate ejus sperari poterat, quam voluisse in ea natura, quam assumpsit a nobis, perpetuo nobiscum manere, nec horrere hominum uterum cum jam est impassibilis, qui non horruit virginis uterum cum esset passibilis? Etenim, ut exemplo rem declarem: quid verisimilius aut credibilius dici potest de Hippocrate, quam scripsisse illum librum egregium in arte medica? De Cicerone, quam disertam habuisse in senatu orationem? De celeberrimo illo sculptore et pictore Michaelé Angelo, quam insignem fecisse imaginem? Et quid credibilius Deoque dignius, quam instituisse tam præclarum amoris trophæum, quod tam efficax sit ad animas sanctificandas? Quid credibilius, quam voluisse prius traderet corpus suum deoseculandum amicitia discipulis suis,

quam traderet id crucifigendum inimicis, juxta id hymni: *In mortem a discipulo suis tradendus æmulis, prius in vitæ ferculo se tradidit discipulis?* Et propterea sapientissime egit Christus, quando ante institutionem eucharistiæ demisit se in terram et lavit pedes discipulorum inaudita humilitate: ut hinc facile crederemus non fore indignum, si etiam in celo existens demittat se ad nos in eucharistiæ sacramento. Quis non libenter credat, tantum humilitatis magistrum exercere adhuc humilitatem istam?

Contra potius nonne indignum Christo foret, et bonitati ac charitati ejus contrarium, loqui nobis obscure et per figuras in re tanti momenti, nobisque occasionem errandi præbere, quando tam claris verbis dixit: *Caro mea vere est cibus: Hoc est corpus meum, etc.* Præsertim cum is venerit ut non jam per figuras, quemadmodum in veteri lege, sed aperte nobis loqueretur, et viam Dei in veritate doceret? Nonne is lucem mundi se esse dixit, et qui ipsum sequitur, non offendere, eo quod in die ambulet? Et ut fieri posset, ipsum aliud docere voluisse, nosque aberrare: decuit ut per tot centenos annos Ecclesiam suam in tenebris oberrare pateretur, et nulli ex tot sanctis viris intimaret suam mentem, Ecclesiam de errore non mone-ret? Quid hoc aliud esset, quam malignum illum Deum inducere, qui ad destructionem tantum operatur, non ad ædificationem? Quando ergo audivimus potuisse Deum operari mirabilem hanc mutationem, et vero etiam merito voluisse, stet maneatque divina illa et immota veritas, et dicamus cum Davide: *Credidi, et dixi in excessu mentis meæ: Omnis homo mendax, qui contrarium asserit: Calicem salutaris accipiam et nomen Domini invocabo.*

### CONCIO III.

#### SACRIFICIUM MISSÆ ASSERTITUR.

I. Ex lege veteri. — II. Ex lege nova. — III. Ex consensu Ecclesiæ et patrum. — IV. Ex diaboli oblatione. — V. Ex miraculis. — VI. Ex adversariorum inanibus terculamentis.

#### THEMA.

*Fari in vias et sepes et compelle intrare, ut impleatur domus mea. Luc. XIV.*

Cœnam magnam jure optimo vocare possumus missæ sacrificium: cœnam quidem, quia representat nobis Christi ultimam in qua instituit et obtulit eucharistiam, adeoque sacram missam quam ad exemplum suum celebrare jussit apostolos; magnam vero, quia victima ibi maxima est, Christus scilicet: offerens item

maximus, idem Christus una cum ministro sacerdote qui Christum ibi representat: mysterium, quod ibi peragitur in consecratione maximum est et stupendum: res quæ ibi postulantur, magnæ sunt: fructus qui ibi percipitur, magnus est: invitatorum numerus magnus: tempus quo durabit, magnum quoque, quia usque ad finem mundi. Porro ad hanc cœnam vocantur non solum catholici, sed etiam Judæi, pagani, hæretici qui tamen postremi exierunt in vias et sepes, id est, in sectas varias et hæreses: dum vel fidem prorsus, vel missam saltem spernunt et abominantur. Quando igitur Dominus in hodierno evangelio misit etiam servum qui de sepius et viis compelleret homines intrare ad cœnam: exhibimus et nos ad compellendos rationibus efficacibus hæreticos ut veniant ad missam.

I. Asseritur ex lege veteri duplici testimonio. Primo, prædicatur Christus a Davide, Psal. CIX. futurus sacerdos secundum ordinem Melchisedech: *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*: de Melchisedech autem legimus, Gen. XIV. ista: *Melchisedech rex Salem proferens panem et vinum (erat enim sacerdos Dei altissimi) benedixit ei et ait: Benedictus Abraham Deo excelso, etc.* Ubi primo, audimus Melchisedech fuisse sacerdotem: deinde, protulisse panem et vinum, sed in quem finem? In corporalem refectionem, inquit novantes. Sed errant; primo, quia jam paulo ante ex præda reflecti erant Abraham et milites ejus, ut eodem c. versu XXIV. legimus. Deinde, quia inepta foret adjectio illa: *Erat enim sacerdos Dei altissimi*, velut si dixisset: *Ædificavit turrim, erat enim sutor*. Protulit ergo panem et vinum, tamquam sacerdos, in oblationem sacrificium; hoc enim est actio sacerdotalis. Denique, non decuisset regem (erat enim Melchisedech etiam rex) offerre Abrahamo profanam mercedem, panem et vinum, propriis manibus. Obtulit ergo primo, Deo panem et vinum; deinde, oblationis et sacrificii participem fecit Abraham: quod etiam fit in eucharistia, quæ primo, in missa offertur Deo, deinde, communicatur fidelibus. Jam ergo si Christus est sacerdos secundum ordinem Melchisedech; ergo in cœna ultima, quando panem et vinum convertit in corpus et sanguinem suum, sacerdotio hoc perfunctus est, eoque apostolos suos inauguravit cum dixit: *Hoc facite*. In cruce enim cruentum obtulit sacrificium, non secundum ordinem Melchisedech, sed potius secundum ordinem Aaron. Quod autem dicitur: *Sacerdos in æternum* significat eum per ministros et vicarios suos sacrificium id peracturum usque ad mun-

di finem: ergo missa, quam faciunt sacerdotes, verum est sacrificium.

Secundo, Malachias, c. I. prædicat fore ut in novo testamento offeratur Deo mundum sacrificium in omni loco, quod præferendum sit sacrificiis Mosaicis, quæ sæpe erant immunda: *Non est mihi voluntas in vobis dicit Dominus exercituum (per prophetam illum) et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus: et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda*. Loquitur de futuro in tempore præsentis, more prophetarum, ob prædictionis certitudinem. Porro hujusmodi oblatio munda et nova, quæ veteribus sacrificiis successura et in gentibus ubique terrarum facienda erat, non est nisi eucharistia, seu corpus et sanguis Christi sub speciebus panis et vini. Hujus enim oblatio nihil dubium, quin Deo sit gratissima. Cætera quæ Deo offerri possunt, preces et bona opera sacrificii rationem non habent; et propterea sæpe sunt imperfecta et vitiosa.

II. Ex lege nova. Primo, ex colloquio Christi cum Samaritana, Joan. IV. in quo ostendit Christus fore tempus (novæ legis scilicet) quando ubique terrarum sacrificabitur Deo, non secundum ritum Judæorum vel Samaritanorum, sed secundum ritum Christianorum. Ait enim ad mulierem: *Venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabitis Patrem. Sed venit hora et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate*. Quo loco adorare significat sacrificare; quin Samaritani in monte Garizim, et Judæi in Hierosolymis tantum sacrificabant; preces autem ubique locorum Deo offerre poterant. Cum ergo Samaritana quæreret, utri rectius facerent Judæi, qui Hierosolymis, an Samaritani, qui in Garizim sacrificabant, respondit Christus deinceps Christianorum sacrificium nulli certo loco alligandum, sed ubique terrarum peragendum fore: rursus Christianos sacrificaturos cum spiritu et veritate, id est, cum interna mentis devotione (quæ deerant sacrificiis Judæorum) et deinde vero Deo (quod non faciebant Samaritani, qui idolo immolabant.)

Secundo, ex institutione Christi, in qua ait: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: Hoc facite in meam commemorationem*, Luc. XXII. Ubi audimus primo, corpus Christi non solum dari discipulis sumendum, sed offerri etiam pro illis, et ut Matthæus, cap. XXVI. ait: *Pro multis*: ergo non solum datum est a Christo discipulis, sed etiam pro discipulis aliisque plurimis. Quod si apostolus I. Cor. XI. pro verbo *datur* utitur verbo *tradetur*, q. d. in cruce, nihil obest nostro argumento: utrumque enim verbum stare

debet: datur, id est, immolabitur nunc a modo incruento: et tradetur, id est, paulo post in cruce immolabitur modo cruento. Audimus deinde præceptum Christi: *Hoc facite in meam commemorationem*. In quo colligimus eam cœnæ actionem perfectissimam fuisse representationem sacrificii crucis, ac proinde etiam sacrificium. Alioquin quomodo sacrificium crucis perfecte representaret, si ipsa sacrificium nullo modo esset? Sane vetera illa, ut Christum cruce immolatum suo modo representarent, sacrificia fuerunt et esse debuerunt, cur non ergo et novum istud? Si quæras, quomodo eucharistia sub utraque specie, conferta a sacerdote representet sacrificium crucis; dico per verba consecrationis veluti per gladium separari corpus Christi ab ejus sanguine, et rursum sanguinem a corpore, non realiter quidem (quia jam non moritur) sed representative: quatenus ex vi verborum constituitur sub specie panis solum corpus, sanguis autem tantum ex consequenti seu comitanter; et rursum sub specie vini solus sanguis, corpus autem ex consequenti: ita ut constitutio corporis Domini sit primarius effectus consecrationis panis, accessio vero sanguinis quasi accidentalis; et rursum constitutio sanguinis sit primarius effectus consecrationis vini, accessio autem corporis Domini, sit velut accidentalis. Hoc autem sufficit ad exactam representationem cruenti illius sacrificii. Confirmatur argumentum ex verbo *facite*: quod non solum apud profanos scriptores significat sacrificare, sed etiam in ss. litteris, uti Levit. IX. et XV. Num. VI. III. Reg. XVIII.

Accedit et apostolus, qui in lege evangelica agnoscit altare distinctum ab altari Judæorum, ad Hebr. XI. *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt*: ubi in Græco pro altari dicitur *sacrificatorium*. Ubi autem est altare, ibi et sacerdos et sacrificium; hæc enim tria correlativa sunt. Rursus ad Hebr. VII. agnoscit novum novæ legis sacerdotium cum ait: *Translatio sacerdotio necesse est, ut et legis translatio fiat*. Ubi ergo est peculiaris lex et religio, ibi peculiare sacerdotium: Christianorum lex peculiaris est, et distincta a Judaica et aliis; ergo peculiare sacerdotium habet. Denique, I. Cor. X. agnoscit in lege nova sacrificium a sacrificio gentilium et Judæorum distinctum, quod consistat in oblatione corporis et sanguinis Christi, sub specie panis et vini; cum ait: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Et panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?*

III. Ex consensu Ecclesiæ et patrum, qui itaclare asserunt sacrificium eucharistiæ, ut nemō qui eos viderit, dubitare de hoc possit. Primo,

quia id vocant sacrificium, oblationem, immolationem, hostiam, victimam: secundo, quia requirunt altaria ad conficiendam eucharistiam; altaria autem sunt propter sacrificium; hinc S. Monica moriens ad sacerdotes aiebat: *Tantum illud vos rogo, ut ad altare Domini memineritis mei ubicumque fueritis*, Aug. lib. IX. confess. cap. XI. Tertio, quia ministros, qui eucharistiam offerunt, vocant sacerdotes, et eorum ministerium, sacerdotium; proprium autem munus sacerdotum est offerre sacrificium. Quarto, quia docent eucharistiam celebrari et offerri posse pro vivis et defunctis, pro pace et incolumitate; et generatim pro omnibus necessitatibus tam corporis quam animi; quod sane non dicerent, nisi putarent esse verum sacrificium. Denique, quia docent Melchisedechum fuisse verum sacerdotem et Christi figuram: ejusque sacrificium in pane et vino fuisse typum sacrificii Christi incruenti sub specie panis et vini. Hæc omnia ex ss. patribus ostendit Bellarminus, lib. de missa, cap. XV. Sed quid ad hæc Lutherus et Calvinus? Non diffitentur ista, sed suam auctoritatem omnibus præponunt patribus. Lutherus, in l. de abroganda missa scribit: « Profitetur imprimis adversus eos, qui clamantur sunt, quod contra statuta patrum docuerim, nihil horum me auditurum: » et in l. de missa: « Hic non moramur, si clamantur papistæ: Ecclesia, Ecclesia, patres, patres, quia, ut dixi, hominum dicta aut facta nihil in tam magnis causis curamus, scimus ipsos etiam prophetas lapsos esse, adeoque apostolos, » non tamen Lutherus, si diis placet, qui prophetis et apostolis major est. Calvinus, lib. IV. instit. cap. XVIII. § 1. ait: *Pestilentissimo errore Satan totum pene orbem excæcavit, ut crederet missam sacrificium*: et infra § XII. *Non est, cur ulla hominum auctoritate vel annorum præscriptione patiamur nos moveri*. Mireres! Lutherus et Calvinus non volunt ulla hominum auctoritate moveri, ne quidem prophetarum et apostolorum; et tamen ipsa sua auctoritate volunt alios moveri, quasi ipsi non homines essent, sed dii. Sed missa horum deorum temeritate et arrogantia, non credimus tot ss. patres docere voluisse quod nescierunt, et Ecclesiam cum iis per tot sæcula derelictam a Deo, ut in re tam gravi erraret: non credimus Ecclesiam Christi relapsam esse in idololatram (si talis missa est, ut clamant novatores) adeoque periisse: non credimus falsam fuisse Christi promissionem de non extinguenda Ecclesia: non credimus tot sanctos viros miraculis illustres sacrilegos fuisse: non credimus hoc dogma nulli sanctorum, sed soli Lutheri, demum et Calvino revelatum esse. Quæ omnia tamen sequuntur ex sententia hæreticorum. Sane Lu-

therus, in principio libri de abroganda missa, sibi metuens scribit: *Magnum est certe tot sæculorum consuetudini, tantæ multitudinis sensui tantorumque auctoritati reluctari. Et paulo infra sibi objicit. Tu solus sapi? Totne errant universi? Tanta sæcula ignoraverunt? Quid si tu erres, et tot tecum in errorem trahas damnandos æternaliter?* Hæc ille, perurgente conscientia sua male sibi conscia.

IV. Ex diaboli conatu, qui nequaquam, ut vult Calvinus, orbem excæcavit, ut crederet missam sacrificium; sed potius omni conatu nisus est e medio tollere missam, quando cum Luthero disputans, ipsum convicit (sicut ipse testatur, in l. de missa angulari) missam esse puram idololatriam, et Lutheri sacerdotium ac consecrationem nullam. Ex qua disputatione Lutherus edoctus missam impugnavit. Jam vero quid fidei tribuendum est ejusmodi dogmati, quod diabolus invexit et Lutherum docuit? Recte quidam e religiosorum D. Bernardi familia ad Lutherum tunc scripsit: « Si missa abominatio esset, uti tu blasphemias, an putas diabolum contra eam disputaturum, et ad eam abolendam argumenta ministraturum, ac non potius modis omnibus eam stabiliturum magisque confirmaturum fuisse? » apud Florim. Raymond. l. 1. de orig. hæc. cap. XV. Sed nimirum versutus ille serpens bene noverat in s. missa omnium pene eorum, quæ pro salute nostra Christus gessit, incarnationis, s. eucharistiæ institutionis, passionis, mortis, resurrectionis et ascensionis Christi, memoriam contineri, indeque vivis et defunctis bona plurima provenire; ideo Luthero et Calvino velut paredris usus est ad missam evertendam. Verum hoc tantum opus non repente, sed paulatim et pedetentim aggressus est. Primo enim, impugnans abusum indulgentiarum, quæsivit per foramen ingredi in Ecclesiam: mox deletis omnino indulgentiis, per fenestram quodammodo irrupit: ingressus primo, vidit obstare sibi baptisterium; hoc si amoliretur, se omnia lucraturum: suavit ergo hominibus, aquam baptismalem nequaquam benedicendam; ut si postea fœteret et vermibus scateret, e templo eliminaretur et aqua fluminis introduceretur. Successit ei hoc negotium. Postea ad chorum procedens, vidit sibi obstare sacrarium eucharistiæ. Persuasit ergo suis, hanc non adorandam, quia vel figura tantum esset Christi, juxta Calvinum: vel Christum in usu tantum et sumptione contineret, juxta Lutherum. Hoc obtento proprius accedens ad altare, vidit sibi obstare missam, quominus in altaris ederet. Persuasit ergo Luthero et postea Calvino ut abrogarent missam. Hoc facto sedet super altare, et privavit homines omni

solatio, defunctos subsidio Deum suo debito, angelos gaudio, sanctos honore suo.

V. Et miraculis, quibus missam Deus velut calculo et sigillo suo approbavit. Sed quis hæc omnia enarrabit? Sane fuerunt sacerdotes, quibuscum manus divina de celo protensa visa est operari sacris, uti S. Udalricus episcopus Augustinus, apud Sur. to. IV. S. Evortius episcopus Aurelianensis, apud Sur. to. V. die 7. sept. Aliis consecrantibus visa est s. hostia immutata in carbonis micantis speciem, ut contigit S. Ignatio patriarchæ Constantinopolitano, apud Nicetam et Baron. an. 878. vel in speciem elegantis pueruli; uti visum in palatio S. Ludovici regis Franc. apud Joan. Viguer. in instit. ad christ. theol. et in calice S. Altonis, cum ab eo in missa elevaretur, ut habet ejus vita manuscripta in monasterio ejusdem, et in s. hostia quam consecravit S. Plegilus presbyter, apud Paschasium Corbeiensem, l. de corp. et sang. Domini, c. XL. aliis celebrantibus astiterunt et ministraverunt angeli, ut S. Gregorio Magno pont. S. Proculo episcopo, et martyri, S. Oswaldo episc. Vigorniensis, S. Chrysost. etc. alii mediante hoc sacrificio magna a Deo obtinere beneficia; uti expulsionem malignorum spirituum ab ædibus, apud S. Augustinum, de civit. Dei, l. XII. c. VIII. vinculorum solutionem in captivitate, apud Gregorium, hom. XXXVII. in evang. et l. IV. dial. c. LVII. et ven. Bedam, l. IV. hist. Angl. anno Domini 679. et Leont. in vita Joan. eleemosynarii, morborum, maleficiorum, dæmonum, locustarum depulsionem, etc. Exempla vide in catech. histor. Dauroiti, l. c. V. t. XXV.

VI. Ex adversariorum inanibus terculamentis, quibus a missa avertuntur. Primo, displicet illis nomen missæ, quod nullibi reperitur in Scriptura: sed hac ratione etiam, incarnationis, et Trinitatis mysterium negare debent, cum nec ista vocabula nominet Scriptura. Quod ergo S. Athanasius, in ep. de sententia Dionysii ait de voce: *Tametsi non invenerim hanc vocem consubstantialitatis in ss. litteris, rem tamen ipsam inibi deprehendi, etc.* Idem nos dicere de missa, Trinitate et similibus possumus. Vocatur autem missa, ad Hebraico et Chaldaico, missah, quod est spontanea oblatio: Christus enim oblatus est, quia voluit, Isa. XXXV. Jure autem creditur id nomen a Petro et Paulo traditum Romanis. Eo enim nomine sacrificium id appellavit Pius papa proximus apostolorum, in epist. ad Justin. Vien. in bibl. pp. et Cornelius papa, in ep. ad Lupicin. Vien. episcopum, Concilium Romanum sub Silvestro et alia; item Alexander papa I. qui fuit sextus a B. Petro, in prima epistola, quæ est ad omnes fideles. Taceo Augustinum, ser. XCI. et CCLI. de temp. Ambrosium, etc.

Secundo, displicent illis cæremonia, gestus et preces, quæ in missa adhibentur: sed immerito. Primo, quia nec ipsorum cænæ omni hujusmodi ritu carent: imitantur enim nos velut simiæ. Deinde, ritus hi substantiæ missæ non modo nihil derogant, sed decorem etiam addunt; sancti enim sunt et tanto mysterio debiti, a sanctis viris additi. Salvator noster excellentem aliquem pictorem imitatus videtur, qui prima lineamenta sua ipse manu, qua par est ubique arte describit et adumbrat, pueris deinde ac discipulis ipsam tabulam coloribus exornandam ac perficiendam tradit; qui interim unice operam dant, ne a magistri manu exorbitent. Idem factum in presenti. Esto apostoli celebrarint missam sola adhibita oratione Dominica; num ideo missa nostra quoad substantiam alia est ab illorum missa? Idem homo a teneris puer est et imberbis, octogenarius postea et canus, idem omnino ac non minus homo est, quam fuit in pueritia, tametsi valde dissimilis.

Tertio, volunt nos contentos esse solo crucis sacrificio cruento, quia habet vim infinitam et æternam. Sed hinc inferre possum, frustra etiam esse baptismum et eucharistiam, frustra fuisse sacrificia veteris legis. Ad quid enim hæc si sacrificium crucis sufficit? Respondetur ergo, sacrificium crucis sufficere et habere vim infinitam, quia non est opus ut Christus iterum moriatur, vel ejus meritis aliquid addatur: duo tamen necessaria erant, unum ut illius beneficiis essemus memores: alterum ut fructum illius in particulari nobis applicarem. Hæc duo præstat missa, non minus quam fides et sacramenta ad hoc a Christo instituta.

Quarto, objiciunt Christum esse sacerdotem in æternum, ergo non habere successores seu sacerdotes alios: sed respondetur, non habere quidem successores, habere tamen ministros et vicarios sacerdotes. Magna inter hos disparitas. Successor enim cum pari potestate mortuo antecessori succedit: at Christus jam nec moritur, nec par potestatis habet sacerdotes, sed ministros qui ei subserviant in officio sacerdotali. Quia in re typus Christi Aaron habuit inferiores sacerdotes, et levitas sibi ministrantes.

Quinto, dicunt aliud esse sacramentum, aliud sacrificium: in illo enim accipimus aliquid a Deo, in hoc vero damus aliquid Deo. Rursum sacrificium offerendum esse Deo, non comedendum ab hominibus. Sed respondeo utrumque falsum esse, ut patet in agno paschali, qui erat sacramentum simul et sacrificium: totus offerbatur Deo, et totus comedebatur a populo, idem fit in eucharistia: eam a Deo accepimus et eandem illi offerimus. Si id quod accipimus a Deo, non liceret ei offerre, nihil offerre posse-

mus; quid enim habemus, quod ab illo non habemus? Vos ergo, auditores, sinite cæcos illos et persistite in luce; in qua hactenus ambulastis. Quantum illi impugnant et oderunt missam, tantum vos eandem propugnate et amate, ad cœnam hanc vocati seculo convenite, de ea quantum potestis et vultis participate, ut tandem aliquando cum Christo cœnetis in regno cœlorum.

## CONCIO IV.

## DE DIGNITATE SACRIFICII MISSÆ.

- I. Desunitur ex re oblata. — II. Ex institutore Christo. — III. Ex ejus cæremoniis. — IV. Ex ministris et circumstantibus. — V. Ex punitione contemptorum.

## THEMA.

*Homo quidam fecit cœnam magnam.* Luc. XV.

Celebratissimum est Assueri grande convivium, quod instituit primoribus regni sui et deinde civibus Susan reginæ civitatis, ut ostenderet divitias gloriæ regni sui, ex l. Esth. c. 1. Imprimis enim in grandi illo convivio, cibi regii apponebantur aliis atque aliis vasis, vinum abundans et præcipuum: secundo, qui instituit convivium, rex fuit potentissimus super centum septuaginta septem provincias: tertio, apparatus fuit ingens; habitum enim convivium in horto regio; pendebant ex omni parte tentoria aerei coloris et carbasini et hyacinthini sustentata funibus byssinis atque purpureis, qui eburneis circulis inserti erant, et columnis marmoreis fulciebantur; lectuli quoque aerei atque argentei super pavementum smaragdino et pario stratum lapide dispositi erant, quod mira varietate pictura decorabat: quarto, singulis mensis præerant singuli principes, ut sumeret unusquisque quantum vellet: quinto, regina Vasthi, quia in convivio hoc comparere jussa renuit, gravissimas penas dedit, repudiata enim a rege est, et regnum ejus alteri traditum. Omnia ista ostendunt, grande fuisse convivium, quod instituit Assuerus. Sed multo grandius fuit quod instituit in ultima cœna Christus: et primo quidem, exhibuit primoribus suis apostolis: deinde, toti Ecclesiæ, sacrificium missæ videlicet. Omnia enim illa quæ in Assueri convivio magna fuerunt, multo majora sunt in missæ sacrificio, ut apparebit per singula.

I. Desumitur hujus sacrificii dignitas ex re oblata, quæ excellit omnia munera quæcumque Deo vel olim oblata fuerunt, vel adhuc offerri possunt. Est enim ipsemet Dei Filius, qui uti in cruce obtulit se Patri in odorem suavila-